

nisset, Chlotharii verba depromit. Viso ergo Eustasio B. Columbanus gavisus recepti muneris aditu gratulatur, retentumque penes se tantisper hortatur ut sui laboris reminisceretur, cohortem fratrum disciplinæ habenis erudiret, multorumque collegio Christi plebem adjunaret suisque institutis educare. Dismissus post haec ad Chlotharium remeare jubetur, talibusque responsis regias mulcere imperat aures, seque retro repedare nullatenus ratum duceret: tantummodo poscere ut sodales suos, qui Luxovium incolebant, regali adminiculo ac præsidio foveret. Litteras castigationum affamine plenas regi dirigit gratissimum munus. Rex velut pignus fœderis viri Dei ovans litteras recepit, nec ejus petitioni oblivionis noram

* Apud Usuardum, Adonem et Surium legitur ix Kal. Decemb. Ast xi Kal. Dec. S. Columbani memoria consignatur in Martyrologii Wandalberti et Bened., quibus Vita S. Columbani exemplaria mss. quæ vidimus suffragantur. Anno Christi 615 S. Columbanum ad superos abiisse inde colligitur quod annum integrum post suum e Gallia discessum, et Theoderici regis interitum in monasterio Bobiensi expleverit.

A præponit. Omni denique præsidio supradictum monasterium munire studet, annuis censibus ditat, terminos undique, prout voluntas venerabilis Eustasii erat, auget; omnique conatu ad auxilium ibi habitantium ob viri Dei amorem intendit. Porro B. Columbanus expleto anni circulo in antedicto monasterio Bobiense, vita beata functus, animam membris solutam coelo reddidit, * x Kal. Decembris. Cujus strenuitatem si quis nosse velit, ^b in ejus dictis reperiet. Reliquaque ejus eo habentur in loco condita, ubi et virtutum decore pollent præsule Christo, cui est gloria per omnia sæcula sæculorum, Amen.

B b Præter B. Columbani Regulam ejusque Poenitentiale, existant opuscula ejus nonnulla Melchioris Goldasti opera Insula anno 1604 edita. Et tamen Regulam Columbani, qualis typis vulgata est, integrum non esse constat, si caput in Concord. Regul. cap. 74, § 10, citatum ex Regulæ Columbani cap. 33, ad Columbani Regulam pertinet. Columbani opus contra Arianos num. 59 memoratum non exstat. Lege adnotata ad Vitæ S. Sadlbergæ exordium.

VITA S. EUSTASII

ABBATIS LUXOVIENSIS SECUNDI,

Ad mss. Codd. Cisterc. aliasque emendata.

(Ex Mabill. Acta ordinis S. Benedicti.)

1. Igitur venerabilis ^a Eustasius, ut superius diximus ^b, a B. Columbano ab Italia paterno affectu directus, dum æquo jure subditas regeret catervas monachorum, evenit ut pro communi necessitate ad regem Clotharium pergeret, qui eo tempore in ultimis Gallie finibus Oceani maris habitatbat. Fuit ergo arrepti itineris via per saltum pagumque Briegium (la Brie) : perventumque est ad quamdam villam Chagnerici quo dudum aliquantis per moratus fuerat. Villa vocabulum ^c Pipimisium dicitur, distans ab urbe Meldorum (Meaux) circiter millibus duobus. Ibi nunc Chagnericus cum conjugé sua Leudegunde nomine, Christiana et sanæ mentis semina, morabatur, et suum filium Chagnoaldum, cuius superius fecit nomen ^d, penes se habebant. Viso itaque Eustasio Chagnericus miro cum gaudio recepit; eratque simul cum patre matreque filia Burgundofara nomine, quam, ^e ut superius diximus, B. Columbanus

C Domino sacraverat. Quam pater cum jam desponsasset ac nuptiis adversum voluntatem puellæ tradi voluisse, dolore oculorum percussa et febrium igne ita succensa est, ut vix jam ^f superis redi crederetur. Hanc in extremis anhelitibus positam B. Eustasius videns patrem increpat dicens, suæ noxæ esse quod haec tantis uteretur penis, quia viri Dei interdictum violare vellet. At ille dissimulans, Utinam, inquit, sospitati redderetur, et divinis famularetur obsequiis! Non se talibus votis obstare debere ait. Accedens itaque ad stratum puellæ, sciscitur si suæ fuerit assentationis quod contra B. Columbani interdictum post vota cœlestia rursus iteraverit terrena. At puella detestatur [Id est, protestatur] se talibus votis nunquam paruisse, ut terrenis cœlestia commutaret; sed paratam fuisse beati viri parere præconis, seque ait præterita vidisse nocte simili figura virum quæ ipse est, qui oculorum suorum lumen redderet, vo-

^a In prologo Anonymi qui huic Jonæ lucubrationi apud Henschenium præmittitur, Eustasius dicitur ex Burgundionum genere procreatus. In Vitæ S. Walarii cap. 9, B. Austasius nobilitate generis et moribus decoratus prædicatur. Denique Jonas in Vita S. Columbani, num. 37, Mietium Lingonice Ecclesiæ pontificem Eustasii avunculum suisce testatur.

^b Vita sancti Columbani, num. 61.

^c Pipimisium habent tum Jonæ quotquot vidimus exemplaria, tum Hildegarius in Vita S. Faronis, cap. 36. Pipimisium nonnulli interpretantur Oppigny: sed ubinam gentium in Brigia sit ille locus Oppigny, ab ipsis Brigiæ incisis discere non potuimus. Exstat duabus fere leucis supra Meldas vicus quidaui ad Ma-

D tronam vernacule Changy, quem vicum non alium esse putamus a Pipimisio, sic posteris appellatum a Chagnerico seu Changerico S. Burgundofara patre. Certe intervallum a Meldis oppido hic per Jonam assignatum prædicto vico non inale respondet; et vicinia Vultiaci villa, vulgo Eussy, in qua S. Autharius Audioeni pater a Columbano conventus est, conjecturæ nostræ favere videtur.

^d Vitæ sancti Columbani, n. 30 et 35.

^e Ibid., n. 50.

^f Superis, id est superstibus seu vivis, prout ad prologum Vitæ sancti Columbani interpretati sumus.

remque simul audisse dicentem : Quodcunque tibi hic vir dixerit fac ; et sanaberis. Infer ergo auribus meis quæ mihi sint custodienda, et tuis orationibus pelle dolorem a Domino illatum. Prostratus itaque humo cum lacrymis venerandus vir Dominum postulat ut pollicitum munus infundat, surgensque crucem supra oculos exprimit, et manu oculos palpando Domini præsidium adesse deplorat [*Id est, implorat.*] Protinus salute secuta lumen redditur, febrium ignis fugatur, redditamque sospitati matri commendat ut ab Chlothario rediens religiosis vestibus induat.

2. Cumque pater cerneret sospitati filiam redditam, spenso tradi decernit, pollicitationi pristinæ cæcam oblivionis foveam inferens. Quo puella comperto credidit uni sodali consilium, cum qua fugam inire queat. Cumque illa assensum præbuisset, felici fuga clam elapsæ arrepta, ad basilicam B. Petri apostolorum principis pervenerunt. Quo pater comperto post eas furens dirigit pueros, atque jubet ut apprehensam filiam crudeliter perimant. Pergentes pueri finibus [Al., sinibus] ecclesiæ puellam receptam repertunt : et paulisper morati ut genitoris ira frangeretur, commiuuantur mortis periculum. At illa inquit : Mortem me formidare putatis ? In hoc ecclesiæ pavimento probate : ob talē etenim causam ovans mortem recipio pro eo qui pro me non dignatus est mori. Nec mora, B. Eustasius remeat, puellam a custodia liberat, patrem terribiliter increpat : religionis veste per pontificem urbis illius Gundoaldum nomine induit, sacravitque salutaribus sacramentis. Monasterium quoque virginum Christi supra paternum solum inter fluvios * Mugram et Albam ædificat, fratresque qui ædificandi curam habeant deputat, germanum puellæ Chagnoaldum et Walbertum qui ei postea successit^b, ut regulam doceant decernit. In quo quantæ virtutes postea factæ fuerint, si vita comes fuerit, prosequi nitemur^c.

3. Reversus ergo venerabilis vir Eustasius ad Luxovium, magistri præceptum implere parat, ut gentes quæ vicinæ erant fidei pabulo alerentur. Progressus igitur * Warascis predicit : quoru[m] aliis idolatriæ cultibus dediti, alii Fotini vel Bonosi errore maculati erant. His ad fidem conversis, ad Boios, qui nunc Bavocarii vocantur, tendit, eosque multo labore imbutos fideique liniamento correptos (*sic Ms.*), plurimos eorum ad fidem convertit : ubi cum aliquantis per moratus fuisset, dimisit sagaces

* **Mugra seu Mucra.** Duplex est amnis ejusdem nominis, uterque in Matronam influens, alter supra Meldas, qui minor; infra idem oppidum alter, qui Mucra absolute, vulgo *le Morin* dicitur. Ille paulo infra Jotrense partem nona, ad orientem; hic itidem paulo infra sanctæ Faræ monasterium olim Evoricas appellatum, ad aquilonem præterlabitur, recipique ex parte orientali rivulum prope idem cœnobium decurrentem, quem Jonas siue dubio *Albae* nomine intelligit.

† Nempe Eustasio, in regimen cœnobii Luxoniensis.

^c Lega Vitam Burgundofaræ, infra.

A viros qui cœpti laboris in studio desudarent; ipse vero ad Luxovium remcare studet.

4. Cumque iter carperet, venit ad quemdam vi-
rum nomine Godoinum, qui eo tempore ad villam quam Mosam [Meuse] vocant ob amnem eo in loco fluentem morabatur. Is ergo cum vidisset Eustasium, velut gratissimum munus domi recepit. Ingressus ergo Eustasius domum, præmissa benedictione, poscit ut liberos quos habebat repræsentet. Ille obe-
diens, duos bonæ indolis liberos repræsentat. Quem vir Dei interrogans : Est, inquit, tibi adhuc proles? Ille fatetur præter unam filiam luminibus orbata nomine Adalbergam [S. labergam], se amplius non habere. Veniat, inquit, illa. Quam cum vidisset, sci-
scitus est utrum juvenilis animus ad cultum divini timoris aspiraret. Affatim ut tenera quiverat *etas*, ait se paratam esse sacris præconiis obtemperare. Dedit ille operam et per duos dies jejunio corpus affect, mentem fide armavit, super oculos benedictionis oleum effudit : meruit tandem per interventum sancti viri cæcitas lumen halero. Redintegravit ergo divina pietas interventu famuli sui luminis damna, ut hæc quæ lumen receperat, post divina munera ad cultum timoris Dei uberior aspiraret. Quæ nuncusque superest divinis obsequiis dedita : nec solum sue utili-
tati, sed et aliis providet opportuna.

5. Cum progressus inde cœptum iter perageret, quemdam fratrem Agilem nomine, qui modo Resta-
censi cœnobio præsul existit, vehemens febrium ig-
nis arripuit. Quem Eustasius attigit, interveataque orationum sanavit, et pristinæ statim sospitati redi-
didit. Deinde perveniens ad supradictum cœnobium, ibi tam plebem interius quam vicinos populos ad Christianum vigorem excitare studuit : multoque eorum ad penitentia medicamenta pertraxit : fuit-
que ejus studii, ut multis sua facundia erudiret. Num multi eorum post Ecclesiarum præsules exsisterunt, Chagnoaldus Lugduni Clavati (*Laon*), Acharius Vir-
mandorum et Noviomensis ac Tornacensis episcopes, Ragnacharius * Augustanæ et Basileæ, Andemarus
Boloniae et Tervanensis oppidi.

6. Cumque jam haberetur ab hominibus grata, adeo ut nullus se B. Columbanum perdidisse gene-
ret qui ejus doctrinis imbutus fuisset, præserbit can-
cerneret in discipulo magistri instituta manere, om-
niumque Francorum procerum honore fulciretur, et Chlotharii regis amore ac veneratione clueret; exar-
sit solito lividus aduersus sanctorum famam hybris

* Warascæ in provincia Sequanorum ad strumppe Duri ripam sedisse scriptor Vitæ sancte Salbergæ testatur. Imbuti erant erroribus Photini Sirmicæ quondam episcopi, qui, teste Epiphanius, heresi^d!, docebat Christum ab initio non esse, sed a Maria, et hucusque ipsum existere : quem in errorem impedit etiam Bonosus Narsitanus in Dacia episcopus.

^d Sic legendum cum ms., non vero Augustoduni, ut apud Bollandum. Augustana nomine intelligi Argusiam Rauracorum, vulgo Augt (prope Basileam, Bâle) urbem quondam, hodie in vicum redactam.

[diabolus] : excitatque ex sinibus matris novum Cain qui fratrem zelo velit extingue; vel etiam novum proditorem qui magistri dicta scinderet, et collidendo solida ad fragiles turbarum aures fragilem mentem accommodaret. Excitat unum e subditis Agrestium nomine, qui quondam Theoderici regis notarius fuerat, et quadam cordis compunctione tactus, omnia quæ possederat relinquens et ad Luxovium veniens, se et sua omnia supradicto Patri tradiderat. Quid cuncta replicem? Religionis speciem in monasterio gestans, post commeatum postulat [Id est, licentiam] ut gentium esse prædictor permitteretur. Quem vir sanctus diu objurgans increpat se ad tale opus minime idoneum, rudem adhuc in religione putare, vel dignum dicens omnibus ecclesiasticis phaleramentis decoratum esse debere qui tale opus suscipieret. Jeremias enim Domini electione præmissus se dignum denegat dicens: *A, a, a, Domine Deus, ego puer sum, nescio loqui (Jerem. i.)*. Moyses electus a Domino se tardum lingua testatur (*Gen. v.*).

7. His dictis cum nihil proficeret, quem tenere non valeret ire sinit. Qui cum ad Bavocarios tendens venisset, paululum moratus nullum fructum exercens, velut alta platanus garrula ventorum folia tremulas quatit ad auras, sed fructuum copiam nescit. Deinde ad Aquileiam pertransit. Aquileienses etenim dissentient a communione sedis apostolicæ (de qua Dominus in Evangelio ad beatum apostolorum principem Petrum loquitur: *Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferni non prævalebunt adversus eam (Matth. xvi.)*) ob trium Capitulorum dissensionem, ex qua discordiae in longum incrementa manarunt, quod præsenti operi non est inserendum. Itaque veniens Aquileiam, socius statim schismatis effectus, a Romanæ sedis communione sejunctus ac divisus a totius orbis communione: qui eum Romanæ sedi jungeretur, damnabat insulam Aquileiam orthodoxam fidem non tenere. Quo schismate imbutus epistolam venenosam et interpretationibus plenam ad B. Attalam per Aurelium Adalvaldi regis Longobardorum notarium dirigit. Quam per multorum annorum spatia abditam habui, et postea mea negligentia perdidii. Nec aliis quilibet eam, sed ipse proprio stylo scripsisset.

8. Directa itaque ad B. Attalam epistola ipse ad Luxovium properat, et postea B. Eustasium schismatis scuie tentat, si sanam mentem suis vesaniis corrumpere queat. Quo venerandus vir comperto, dia-

^a Quædam trium Capitulorum, quæ amplius uno saeculo Ecclesiam exagitavit, exinde sumpsit originem quod cum Ibas Edessenus ac Theodoreus Cyrenensis episcopi una cum Theodori Mopsuesteni in Cilicia secunda antistitis recepti essent in concil. Chalced., Act. 10, consulatu Martiani, Christi anno 451 habita, vi Kal. Novebris; uno fero post saeculo agente Theodoro Cæsarea Cappadocia episcopo damnati sunt a Justiniano imp. quod Nestorio favere videtur. Coacium est ea de causa Constantinopoli concilium anno 533 jussu imperatoris, in quo concilio damnatio literata, cui summi pontifices primo repugnantes postea assensi sunt, cum multi episcopi in-

A paternis affaminibus errantem monet. Sed postquam salutaribus monitis mentem peste corruptam et solubri antidoto curare nequivisseret, a suo suorumque collegio segregavit.

9. Refutatus ergo a B. Eustasio se hoc illuequ^u verit, ut nonnullos assentationis sue fautores facere queat. Sed cum nihil ejus imperitis facere quivisset, B. Columbani religionem offendit, adversus regulam ejus cancio dente garriens, ac veluti coenosa sus grunniens per quos potuit garrulitatis sue murmur excitavit, annuente sibi Abelleno Genevensis urbis (*Genève*) episcopo, qui consanguinitati sue proximus erat. Is itaque Abellenus vicinos calervatum episcopos sibi jungere in Agrestii auxilio omni studio nusus est, ita ut regem Chlotharium tentarent, si eorum partis assentator futurus esset. At ille sciens et cognitam experimento habens B. Columbani sanctitatem et discipulorum doctrinam, adversus sanctam doctrinam grunientes suis studet redarguere responsis. Cumque nihil profecisset, statuit ut synodali examinatione probaretur, non ambigens de B. Eustasii auctoritate et doctrina, quod omnes adversantes sanctæ regulæ prudentia et facunditate, administrante sibi Spiritu sancto, superaret.

10. Emanante ergo regali auctoritate, multi Burgundiae episcopi in suburbano Matisconensis urbis convenient: inter quos residebat maximus hereticus, qui maxime synodum fieri urgebat Warnacharius, qui erat B. Eustasii adversarius. Sed prævaluit B. Eustasii deprecatione, ut qui auctor misera intentionis et assentator fieri vellet, correptus a Domino per eum omnium vires frangeret. Prædicto ergo et statuto die quando adversus Eustasiū altercatio oriatur, ipse morte præventus interiret ^b. Itaque itaque in eo Agrestianæ partis viribus turbantur omnes, et sciscentur Agrestium quid adversus regulam B. Columbani vel venerabilem Eustasiū objiceret. At ille trementibus labiis, et nihil auctoritatis ac elucubrati eloquii habens ait, superflua quædam et canonicae institutioni aliena eorum studiis teneri. Cumque illum urgerent, tandem criminis causam depromit: se sue regulæ habere, & cochlearum quam lamberent crebro crucis signo signari, et in ingressu eujuslibet domus intra coenobium tam introendo quam egrediendo benedictionem postulare. Cumque illi nil dignum synodalibus dissertationibus objici cernerent, Alia, inquietant, si habebat opponat. At ille prorupit dicens se scire Columbanum a ceterorum

primitis Aquileienses in defensione trium Capitulorum persisterent. Lege Baron. tom. VIII, ad ann. 558 et seqq. Aquileienses tandem sub Sergio papa resipuisse auctor est Paul. Diae., lib. v, cap. 14, Hist. Longob.

^b Hic ergo Vuarnacharius alias est a Vuarnachario majore domus, qui post Eustasiū mortuus est, nimis pro Chlotharii regni anno 43, Christi 626, teste Fredegario in Chron., cap. 54.

^c Ista repetuntur ex Pœnitentiali S. Columbani, in quo qui non signaverit cochleare quod lambit, sex percussionibus; egrediens vel ingrediens domum sine signo crucis, duodecim plagis subjacere teuebatur.

more desiscere, et ipse missarum solemnia multi-
plicatione orationum vel collectarum celebrare : et
multa alia superflua quæ cum auctore ac si hereses
tradita execrari deberent.

11. Auditio beatus Eustasius hæreseo nomine se
cum suo magistro notari, ait : « *Vos o decus sacer-
dotum, probare debetis, qui in ecclesiis veritatis ac
justitiae seminarium distribuant, et qui veritati ac
verae religioni aliena tradant. Quidquid enim a nor-
ma veri trahitis dissentit, extra Ecclesiam corpus
baberi debet. Vestrum est discernere objecta, an sint
Scripturarum serie aliena. At illi aiunt : Tuor ore
nosse volumus quid dignum ex hoc in responsionibus
reddas. At ille, Nequaquam, inquit, reor contrarium
esse religioni, si cochlea quam Christianus habebit,
vel quodcumque vas aut poculum signo crucis muni-
tur : cum per adventum signi dominici pellatur pestis
adversantis inimici. Introeunte vero cellulam mona-
cho vel exeunte, benedictione Domini armari ratum
duco juxta Psalmistæ vocem : *Dominus custodit te
ab omni malo : custodiat animam tuam Dominus.
Dominus custodial introitum tuum et exitum tuum,
ex hoc nunc et usque in seculum* (Psal. cxx). Li-
cet hoc ad unumquemque Christianum referatur, ut
gratia baptismi per fidem in Ecclesia introcante
servetur, tamen quotidie manu sua sive in ingressu,
sive egressu, sive progressu, unumquemque nostrum
signo crucis armari vel benedictione sodalium robo-
rari fas duco. Multiplicationem vero orationum in
sacerdis officiis credo omnibus proscire Ecclesias. Cum
enim plus Dominus queritur, plus invenitur ; et cum
uberius oratione pulsatur, ad misericordiam peni-
tentium citius excitatur, nihil aliud plus desudare
debemus quam orationi incumbere. Sic enim a Domi-
no sub apostolorum numero hortamur : *Vigilate et
orate ne intratis in temptationem* (Math. xxvi). Sic
enim nos et Apostolus sine intermissione orare rogal
(I Thess. v) : sic omnis Scripturarum ordo jubet
clamare : qui enim clamare negligit, neglectus et
abscissus a Christi membris abjicitur. Nihil enim tam
utile tamque salubre quam Crederem multiplicatio-
nem precum et assiduitate orationum pulsare.*

12. His et horum similibus responsis confusus
Agrestius addit garrulitatis noxam calumniator, ca-
pitis coronam aliter ^a tondi, alio charactere exprimi,
et ab omnium more descisci. Comperenditam Agre-
stio talia loquenti et frivola garrulanti, Eustasius
agax, ut erat virtute patientia et scientia compre-
tus, respondit : Horum, inquit, in praesentia sacer-
dotum te ego ejus discipulus et successor cujus tu
disciplinam et instituta damnas, ad divinum judicium
cum eo intra praesentis anni circulum causas dictu-
rum invito, ut justi judicij examine vindictam sentias,

^a Legendum tonderi. Nempe discipuli S. Columba-
ni tonsuram gerebant Hibernianam, quæ dimidiata
coronam reddebat : scilicet ab aure ad auren per
frontem in coronam cæsus erat capillus, ab aure ad
aurem per occipitum capillus intonsus dependebat.
Ceterum tonsuram eam quam magum ferunt ha-
buisse Simonem, quis rogo fidelium non statim cum

A cujus famulum tuis detractionibus maculare procuras.
Hilis dictis moentes quorundam qui Agrestii ante
partis fautores erant perculit, hortanturque omnes
ut pacis nexus corda jungerent : et iste presumptus
temeritatis audacia tolleret, et ille paterno affectu
labentem piis correptionibus soveret. Ad quos B.
Eustasius : *Vestrīs libens satisfacrem præcibus, si
misera mens duritiam recordis molliret, et cor rectis
cautelis mortis vel antidoto visceribus desectis, ad
salutiferum charitatis fraternalē statum remeare nitie-
retur. Cogentibus ergo cunctis Agrestius simulata
pacem postulat, quod postea actis depromisit. Eusta-
sius mitis animi et mentis virtutum conscientia, savet
suasioni poscentium, pacem tribuit, osculum porrigit.*

13. Altamen Agrestius manifestam vesaniam vere-
cundiae metu pepulit, non tamen omnibus a malis
abscessit. Coepit namque deinceps monasteria tentare,
et sub specie discipuli pretium proditionis taxare. Ad
quendam enim virum venerabilem Romaricum ve-
niens, qui primus inter nobiles fuerat apud Theo-
debertum habitus, priusquam per B. Columbani
exemplum ac Eustasii prædicationem monitas, ad
Luxovium veniens monasticae institutioni se subdidit.
Que diu sub regulari tenore vitam agente, postea
Eustasio annuente puellarum monasterium in propria
exstruxit possessione, in quo et regulam B. Colum-
bani custodiendam indidit. Cumque jam multa reli-
gione polleret, ad eum Agrestius pergit, seseque sub-
ditum atque obedientem simulat : simulque Amatum,
quem ibi Eustasius ad imbuendam regulam præfec-
rat, mollibus suggillationibus tentat. Nam eo in tem-
pore ob quendam neglectum tam Amatus quam Ro-
maricus ab Eustasio objurgati fuerant. Iesus ergo
ut sensit, quo facilius exasperatas mentes suis asser-
tionibus jungeret, stimulavit paulatim venecata
verba sanas mentes recipere, et in contemptu regu-
laris B. Columbani propriam vesaniam propagare.
Proh dolor ! execrabilis suasa ac letifera imbutio
monita sana insaniens maculavit. Qui, abjectis institu-
tis pristinis, rudibus conati fuerant instruere ple-
bem doctrinis : et seducto juxta Job angue, manu
obstetricante divina (Job xxvi, 13), rursum zelo in-
vidice reducere non metuerunt.

14. Deinde ad Burgundofaram iter dirigit, ut eam
suis stimulationibus si valueret commacularet. Quem
D Christi virgo non semineo more, sed virili confudit
responsione. ^b Num tu, inquiens, confessor veritatis
et novorum introductor argumentorum, ad hoc has
accessisti, ut veneno tuo duicia melle perfunderes,
et vitalia alimenta lethali amaritudine committares ?
Eis tu detrahis quorum ego virtutes experta cognovi,
quorum doctrinam salubrem recegi, ex quorum
eruditione multos coelestia regna penetrasse compri-
meremini. Me minisse te velim Isaiae dictum : *Ver qui dicis*

ipsa magia primo detestatur et merito exsufflet ? Quæ
aspectu in frontis quidem superficie, corona videtur
speciem præferre, sed ubi ad cervicem considerando
pervenieris, decurtatam eam quam te videre potabes
invenies coronam, ^c inquit Ceolfridus abbas in ep-
istola sua, apud Bedam lib. v. Hist., cap. 22.

malum bonum, et bonum malum (*Isa. v.*). Accelerata prorsus ab hac vesania festinus recede. Confutatus ergo bis Christi famulæ responsis, rursus ad Romaricum vel Amatum repedat, ut cœptam deceptionis rugam contrahat.

15. Nec defuit divina ultio. Cum ad hoc jam omnes aspirarent ut contemptus pristinarum assentatores forent institutionum, primum lupi rabiei morbo detenti duos ex his qui fautores erant bujus assertionis per intempestam noctem intra monasterii septa irrumperentes morsibus laniarunt, atque cum rabiei peste derelictos miserabiliter morti tradiderunt. Alium, Platrelium nomine, qui adhuc discordia fumitem vehementer aspirabat, dæmonum rabies pervasit, atque ignobiliter morti tradidit, nam propria manu ipse se laqueo suspendit. Sed cum hæc ultio nequaquam fieret correptio delinquentium, protinus major secula est. Nam subito fulgor e coelo elapsum terribili fragore percutit locum, ecclesiam pervagatur, subvertit tegumenta, plebem urit, examinat: ut scilicet præsens correptio, qui simplicitate nimia, præveniente calliditate jam permixta ignavæ persuasiōni assensum præbuerant, monstraret futuram debere fugere iram. Mortui sunt ad præsens viginti: deinde metu percusso paulatim mors rapit: ita ut ex ea ultiōne, sicut aiunt, amplius quam quinquaginta morerentur, nempe auctore criminis reservato ad poenitentiam, ut si agnoscat culpam et redeat ad veniam, procul dubio sanitatem recipiat. Nullum enim Dominus perire desiderat, sed semper quam gravibus delictis obrutum per poenitentia formenta redire exspectat.

16. Cumque isdem Agrestius sèpius sibi poenituisse locum datum non cognovisset, ut Eustasii sententia ad judicium invitantis prævaleret, ante triginta dierum circulum quam vertentis anui meta compleretur, a servo suo quem ipse redemerat, securi percussus interiit. Occasio criminis dicebatur permixtio uxoris: quod quamvis multi dixerint, et verum assérere velint, nostrum tamen hoc affirmare non est. Cuncta enim juxta Salomonem adducet Dominus in judicium pro omni erratu, sive bonum, sive malum (*Eccl. xii.*). Et Apostolus: *Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit* (*I. Cor. iii.*). A nobis tamen dicendum est quod justa eum sententia divini judicii ideo ferire non distulit, ut et assentatoribus fugere a lacerationibus sanctorum famulorum Dei monstraret, et ille contumaciaz commissa per meritam ultiōnem lueret. Amatus vero ac Romaricus venerabilis Eustasii convenientiam postulantes recipiunt, atque desidia submota fruuntur.

17. Abellenus vero vel cæteri Galliarum episcopi post ad roboranda Columbani instituta aspirant.

^a Solemnianum, *Solignac*, cœnobium ord. S. Bened.

^b Monasterium a Berthihara constructum, nunc redactum est in ecclesiam collegiatam, quæ B. Mariæ de Salis, vulgo *Notre-Dame de Sales*, dicitur.

^c Loci suburbani nomine intellige urbis territorium seu tractum urbi subjectum, quæ alias pagum vocant, unde suburbanæ regiones. Certe Miluandra

A Quam multi jam in amore Columbani et ejus regulæ monasteria construunt, plebes adunant, gregem Christi congregant. Inter quos illuster tunc vir Elegius, qui modo Virimandensis Ecclesiæ pontifex præst (de quo quia superest, non meo judicio, quod superest, fulciendus est, ne adulatio noxa reprehendar), juxta Lemovicensem urbem monasterium nobile ^a Solemnianum nomine construxit supra fluvium Vicennam (*la Vienne*), distans a supradicta urbe millibus quatuor, et alia multa in iisdem locis cœnobia sed et in Parisius puellarum monasterium quod de regio munere suscepit, ædificat, in quo Christi virginem Auream nomine præfecit. In Bituricensis vero urbe, ^b puellarum monasterium ex B. Columbani regula Berthoara nobilis genere et religione femina construxit. Itemque in ^c suburbano Bituricensis urbis vir venerabilis Theudulfus cognomento Bobolenus monasteria ex regula Columbani omni religione pollutia construxit, primum in insula supra fluvium Milmandram, ubi religiosorum adunavit catervam; alium Gaudiacum nomine, haud procul a fluvio Albeta; tertium Christi virginum congregationi, loco nuncupato Carantombo supra fluvium jam dictum Milmandram; itemque aliud Christi virginum, juxta Nivernense oppidum sub eadem regula construxit.

18. Beatus vero Eustasius has post victorias corrigere delinquentes studet ac suæ parti adunare decernit. Deinde monachorum sub ejus obedientia insepe fato cœnobio concio maxima erat, ut ex hoc jam multa per vicina loca monasteria construerentur: quæ ejus successor B. Wandelbertus firmavit a que ædificavit. Jamque beatum de hac vita exitum præstolans, omni intentione ad contemplanda mysticorum præconiiorum documenta desudat, solique Deo mente intenta preces fundens dirigit preces. Cumque jam per multorum curricula annorum in hoc opere intente vacaret, evenit tempus vocationis ejus: daturque sententia justi Judicis, ut quod minus annorum circuli diversis afflictionibus peracti purgaverant, paucorum dierum corporis infirmitas curaret. Interrogatus inter poenæ incendia per visionem nocturnam, si quadraginta dierum spatio leviori poena curari vellet, aut potius triginta serventiori incendio purgatus vita beata functus cœlos penetrare, respondit ille: ^d Melius esse quamvis durioribus in brevi subjici flagellis, quam lenioribus longis consumi poenis. Expletiv ergo provisam atque electam poenam corporis tricesimo die: omnibusque validicens, triste remanentibus promissum deponit, atque sui exitus horam eadem esse die denuntiat. Viatico itaque sumpto animam cœlo reddidit, solumque desideriumque supernorum et paternum

fluiolus, vulgo *la Marmande*, et Albeta *l'Aubois*, de quibus hic, decem fere milliaribus Gallicis ab Avraro Bituricum distant. Ex monasteriis a Boboleno constructis primum destructum est, uti et Gaudiacum, tertium Charenton dictum puellarum ord. S. Bened. adhuc subsistit, seque ac quartum ejusdem ordinis sub nomine B. Mariæ.

regimen viventibus et religionis exemplum dimisit. A Maii ^b ætherea penetravit regna duce Christo, cui ea virtus et honor in secula saeculorum. Amen.

^a Legendum iv Kalend. Maii, quemadmodum constat ex antiquis Martyrologiis Wandalberti et Adonis, qui Ado Eusiasium primo loco ita commendat: *iv Kalend. Maii depositio S. Eustasii abb.* discipuli S. Columbani, qui *Pater ferme sexcentorum existit monachorum, et vita sanctitate conspicuum, etiam miraculis claruit.* Corpus S. Eustasii (ut doctissimus Henschenius adnotavit) asservatur Wargaville, vulgo Vergaville in Lotbaringia, in abbatia sanctimonii-

lium ord. S. Bened. dioecesis Mettensis prope Dieuzam oppidum (*Dienze*) aquis salariis percelebre, quo in loco S. Eustasius maxime in liberandis energumenis et amantibus restituendis elucet.

^b Anno scilicet Christi 625. Nam in Vita S. Saloberga, num. 7, curam fratrum Luxoviensium tribus non parum minus egisse lustris dicitur post Columbanum, qui anno 610 Luxovio pulsus est. Eustasio successit Walbertus seu Waldebertus.

VITA S. ATTALÆ

ABBATIS BOBIENSIS SECUNDI.

(Ex Mabili., Acta ordinis S. Benedicti.)

CAP. I. Attala Columbani successor ab Arigio instructus Lerinum petit. — Cum ergo venerabilis Columbanus de hac luce migrasset, ejus in locum Attala ^a affectus est omni religione laudabilis: cuius post magistrum virtutes clarae fulserunt. Hic ex Burgundionum genere nobilis natione fuit, sed nobilior sanctitate per vestigia magistrum secutus. Sed qualiter rudimenta illius inter ipsa primordia ubereum profectum acquisierint, prætermittendum non est. Itaque cum patris studio nobili liberalibus litteris imbutus fuisset, ^b Arigio cuidam pontifici a genitore commendatus est. Sed cum se nihil utilitatis agere cerneret, cœpit rudis affectus ad potiora anhelare, deditque operam ut, postpositis phaleramentis saeculi, monachorum jungeretur cohorti. Clam ergo a sodalibus progressus duobus pueris contentus ad Lirinense coenobium venit, quo diu vitam degens cum nequam cerneret regularis disciplinae habebis cœteros colla submittere, cœpit anxiō animo trutinare quo potioris consilii aditus viam panderet. Progressus ergo inde ad B. Columbanum Luxovio tenus venit. Quem vir sanctus cum ingenii sagacis solerter esse cernoret, suo ministerio juxxit, ac in omnibus divinis monitis erudire tentavit.

CAP. II. Abbas factus a suis exagitatur. — Pæna rebellium monachorum. Ergo cum egregie post B. Columbanum supradictum coenobium regeret et in omni disciplina regularis tenoris erudiret, contra eum antiqui anguis versutia letiferum discordiae virus noxiis retibus laxare cœpit, excitans aliquorum contra eum corda subditorum, qui se siebant nimil fervoris austeritatem ferre non posse, et arduae disciplinae pondera portare non valere. At ille sagaci ut erat animo pia fomenta præbere, et salutaris antidoti quo sanies putrefacta abscederetur potum dare studens, mollire tumentia corda nitebatur. Denique castigatos cum secum tenere non valeret, mœrere animi turbatus multis precibus cum pietatis obsequio

B prosequebatur ut se non relinquerent, et ab ardenti itineris calle non deviarent, reminiscerenturque Patres per mortificationem et contemptum præsentis vita regna cœdorum possidere. Cumque se nihil jam proficere cerneret, nec alibi trahentes animos suæ societatis habebis irretiri posse vidisset, pertinaces irsinit; qui postquam segregati sunt ab eo, alli eorum marinis sunt simibus recepti, alii locum eremi ob libertatem habendam petiere. Qui temeritatis sua atque arrogantiæ inibi positi, mox in obtuta domina sensere. Nam cum his in locis morarentur, et vires Dei suis detractionibus lanarent, unus eorum qui Rocolenus dicebatur, qui et jurgiorum, ut credebatur, incrementa ministrabat, subito igne febrium accensus inter poenas incendiis clamare cœpit se, si C valuisse, ad B. Attalam venire velle et admisiæ criminis damna pœnitentia medicamento lenire. Nec mora, vix hæc dicere ei licuit obmutuit, ac extremum balitum dimisit. At hi qui adorant, videntes viri Dei injurias divina ultiō vindicari, plurimi eorum ad virum Dei remeant, suasque noxas contentes se in omnibus si recipientur emendatores pollicentur. Quos vir sanctus miro gudio ac si e luporum ore eruptas oves recepit suisque locis suas agnoscentes culpas restituit. At vero alii qui verecundia præveniente vel temeritate ac arrogantiæ viatio maculati redire noluerunt et datum pœnitentia locum non redeundo contempserunt, diversis mortibus sunt direpti: ut manifeste daretur intelligi, socios eos fuisse ejus in excitanda contumacia incrementa, quem ultio divina percussaret, et propterea cum cœteris veniam non meruisse. Nam unus eorum Theodemundus nomine securi percussus interiit; alius dum parvi fluminis alveum transmearet, irritus poplitibus per parvulam fluvij undam necatus est; tertius vero, qui Theutarius dicebatur, cum se in mare portaturum carinæ tradidisset, dimorsus est. Videntes hæc qui adhuc supererant, verecundia

^a Nempe apud Bobiense monasterium, ut ad præstationem Vitæ S. Columbani dictum est, quod etiam ex cap. 3 sequenti constat.

^b Is est S. Arigius seu Aridius Vapinceensis episco-

pus, qui concil. Valentino et Matisconensi II anno 585 interfuit, et dalmaticarum usum a Gregorio Magno obtinuit, regest. lib. vii, ep. 413. Ejus Vitam lege apud Philippum Labbeum, tom. I Biblioth.